

VI. Quamquam juxta Catechesin Lutheri quotidie multifariam peccemus & nihil nisi poenam mereamur, Jac. III. 2. dubitandum tamen non est, hominem renatum virtute gratiæ, sibi inhabitantis, ab omni peccato voluntario, fidem excutiente, cavere sibi posse. Rom. V. 20. 21.

VI. Id nisi posset, nunquam salutis suæ certus foret.

VIII. Nec tamen nunquam ita securus status sui re-genitus esse debet, quin animo suo recolat, peccatis mortalibus, etiam eâ in re, ubi minimè putaverit, jacturam se fidei facere posse. Phil. II. 12. Psalm. XIX. 13. Ideò enim vetus regula est: Christianorum vita perpetua poenitentia.

IX. Ad absolutam Christianarum virtutum perfectionem in hac vitâ pervenire nemo potest, nec quisquam legem in rigore Divinitus requisito implere. Eccl. VII. 21.

X. Datur tamen perfectio secundum quid, seu inchoativa, Phil. III. 15. Col. IV. 12. & impletio legis, quâ suâ voluntate non peccent renati, sed inhærens tantum peccatum sentiant, contra votum suum recurrens. I. Joh. III. 6. 9. Jac. II. 8.

XI. *Regenitus, qui Spiritu DEI regitur, ex vero DEI Divinaque voluntatis amore officium facere studet & adversos peccati motus cohibet ac luclando vincit, ne unquam nisi per subitanam obreptionem secundum illos agat. Gal. V. 16. Rom. VIII. 7. 13. Schomerus.*

XII. *Lucla illa carnis & Spiritus ubicunq; reperitur, vita spiritualis reperitur, quam Spiritus Divini gratia in homine accendit, & ut fortius resistitur pravis concupiscentiis, majores facit renovatio progressus, cujus ultimum in hac vitâ complementum est, ut semper motus mali in ipsis suis initiis & primo quasi partu comprimantur. Idem.*

Disp. XLII.

De

Ministerio Ecclesiastico.

I.

VOcatio mediata ad Ministerium Ecclesiasticum rectè dicitur Divina. Act. XX. 28, Eph. IV. 11, II. Ut